



PARS I.
DE
FORMVLIS IN GENERE.

SECTIO I.
DE
ESSENTIA FORMVLAE.

§. I.

Quam leges bonae methodi requirant, Medici
vt rei pertractandae legitima suppeditetur definitio, mihi, de formulis medicis acturo, incumbit definire, quid sit formula medica. Consultui hinc celeberrimos, qui de formulis remediorum scripserunt, Auctores, sed, si verum fateri licet, vel nullam, vel saltem non legitimam in iis inveni formulae medicae definitionem. Neque hoc sum miratus, cum partim Medici, nescio, qua opinione capti, parum de definitionibus condendis sint solliciti, partim vero definitio formulae medicae non admodum sit inventu facilis, cum nimis multae eaeque variae dentur formularum medicarum species atque variorum circa eas occurrentium multitudo impediat, quo minus facile
(*Pars I. de form. in gen.*) A illud,

non rite
defini-
verunt
formu-
lam.

illud, quod ipsis commune est atque proprium, detegi possit. Ne quis vero me eiusdem, quod in aliis reprehendi, vitii accuset, curandum mihi est, vt legitimam formulae medicae construam definitionem, atque hoc sine regulis vtar logicis, quae praecipunt, vt attendatur ad varios, quibus aliquid *formula* nominatur *medica*, casus, atque in iis inquiratur, cur aliquid formulae nomine insigniatur, ita, vt abstractionis ope illa inveniuntur, quae omnibus formulis medicis communia sunt et propria. Qua de re ad ea, quae sequuntur, attendendum esse velim.

§. 2.

Definitio
formulae
medicae.

Si quis varias attentiori contemplatur mente formulas medicas, eas, quot et qualescunque sint, in eo convenire deprehendet, vt certis signis certum, quo medicamentum aliquod sit praeparandum, modum determinent. Sic haec formula:

R̄ rhabarb. elect. ʒj
F. puluis.

vel

R̄ rhabarb. elect. ʒj
lap. ☉ ppt.
nitr. purif. aa ʒß
M. f. puluis.

certis signis indicat modum, ad quem aliquod medicamentum sit parandum, et idem sic se
in

in reliquis omnibus formularum speciebus habet. Non autem necesse est, vt aliquid, si formulae medicae nomen mereri debeat, semper schedulae sit inscriptum, et his nec aliis signis expressum. Hoc enim plane arbitrarium est et more tantum receptum, nec ad essentiam formulae pertinet, quoniam ea non litteris, sed vocibus quandoque, imo omnibus linguis exprimi potest et exprimitur. Hoc tantum requiritur ad formulam, vt certis signis, quae et qualiacunque ea vel maxime sint, certum modum determinet, quo medicamentum fieri vel praeparari debeat. Quae igitur cum ita sint, *formula medica* erit definienda, quod sit *determinatio modi, quo medicamentum fit praeparandum, signis expressa.*

§. 3.

Multi forsā definitionem formulae §. 2. datam vitii accusare possent, hac ratione ducti, quoniam illa non determinaret id, ex quo medicamentum praeparari debeat, siue eiusdem *materiam*; sed hi, quibus hoc dubium incidit, logicae minus sunt periti, ideoque sciant, definitionem non continere debere superflua, neque ei immiscenda esse omnia, quae ex ea legitima consequentia deduci possunt. Quod vero haec propositio: quod nimirum formula medica id, ex quo medicamentum fit praeparandum, siue materiam medicamenti indicare debeat, ex definitione §. 2. suppeditata fluat, statim ostendam.

A 2

§. 4.

Dubium, quod contra definitionem formulae medicae datam moveri posset, refutatur.

§. 4.

Formula medica docere debet materiam medicamenti. Nullum medicamentum, quodcunque vel sit, praeparari potest, nisi aliquid adsit, ex quo praeparetur, siue, omne medicamentum praeparandum debet praeparari ex certa materia. Nunc formula medica est determinatio modi, quo medicamentum praeparari debet, signis expressa §. 2. Ergo formula medica determinare debet materiam, ex qua medicamentum sit praeparandum.

§. 5.

Formula medica non determinat solum materiam medicamenti §. 4, sed eiusdem etiam *formam*. Cum enim determinet signis modum, quo medicamentum sit praeparandum §. 2, et modus, quo medicamentum paratur, determinet eiusdem formam, hinc non materiam solum, sed etiam formam indicat. Omnis igitur formula ex duobus constat essentialibus, nimirum primo ex *determinatione materiae medicamenti*, et secundo ex *determinatione formae seu modi* in specie, quo ex data materia medicamentum fieri possit.

§. 6.

Consensus definitionis formulae §. 2. datae cum Ne quis vero putet, meam definitionem formulae §. 2. traditam ab usu loquendi Medicorum discedere, mihi ostendendum est contrarium. Multas quidem definitiones, quas Medici de formula dederunt, quamvis non sint legitimae, tanquam testimonia huc pertinentia

nentia allegare possem, sed hoc, ne nimis sim longus, non faciam. Sufficiat tantum Celeberrimi GAVBII, qui omnium optime de formulis medicis scripsit, definitionem adducere, quae in eiusdem libello de *methodo concinnandi*

Celeb.
Gaubii
defini-
tione
ostendi-
tur.

formulas medicamentorum §. 1. reperitur: Formula, inquit, vocatur remedii pharmaceutici, ex arte inventi, quoad materiam et formam rationalis consignatio, iuxta quam id a pharmacopoeo apte parari atque aegro commode et fructuose applicari potest. Haec definitio eatenus cum mea convenit, quatenus eas continet notas, quae requiruntur ad definitionem formulae. Dixi, formulam esse determinationem modi, quo medicamentum fit praeparandum, signis expressam §. 2, et celeberrimus GAVBIVS inter alia asserit, eam esse consignationem remedii quoad formam. Nonne ergo his verbis idem, quod ego, dicit? Quid enim consignatio remedii quoad formam significat aliud, quam determinationem modi, quo medicamentum fit praeparandum, uti apparet ex §. 5. Reliqua, quae in definitione Celeberrimi GAVBII recensita sunt, sunt superflua, quae ex definitione exulare debent, et legitima tantum consequentia ex ea deduci §. 3, quemadmodum id a me factum fuit in antecedentibus. Nec plus enim nec minus ad formulam requiritur, quam ut signis determinet modum, quo medicamentum fit praeparandum. Haec vero, quod, uti doctissimus GAVBIVS in sua formulae definitione

asserit, *remedium sit pharmaceuticum, ex arte inventum, consignatio eiusdem rationalis, quod remedium istud iuxta hanc consignationem a pharmacopoeo apte parari atque aegro commode et fructuose applicari possit*, plane non ingredi debent definitionem formulae, quod cuilibet logicae perito facile est demonstratu.

§. 7.

Formula
medica
est defini-
tio gene-
tica me-
dicamen-
ti.

Quicquid est determinatio modi, quo aliquid fit, signis expressa, illud est idea determinata modi, quo aliquid fit, symbolice expressa. Fac enim, determinationem modi, quo aliquid fit, signis expressam non esse ideam determinatam modi, quo aliquid fit, symbolice expressam, necessario aliquid deficeret, quod requireretur ad modum, quo aliquid fit, determinandum, adeoque modus, quo aliquid fit, non esset determinatus; id quod contra hypothesein, utpote quae postulat, modum, quo aliquid fit, esse determinatum. Patet ergo, omne id, quod est determinatio modi, quo aliquid fit, signis expressa, esse ideam determinatam modi, quo aliquid fit, symbolice expressam. Atqui omnis idea determinata modi, quo aliquid fit, signis expressa, est definitio generica eiusdem rei. Ergo omnis determinatio modi, quo aliquid fit, signis expressa, est definitio generica alicuius rei. Iam formula est determinatio modi, quo medicamentum fit praeparandum, signis expressa §. 2. Ergo formula est definitio generica medicamenti.

§. 8.

§. 8.

Materies medicamenti praeparandi existere nequit, nisi quid vel plura adsint, ex quibus constat. Ea vero, quae materiam medicamenti constituunt, dicuntur eiusdem *ingredientia*. Quid sint ingredientia medicamenti.

§. 9.

Formula determinare debet materiam medicamenti §. 4. Materia medicamenti existere nequit, nisi quid, vel plura adsint, ex quibus constat §. 8. Fac ergo, materiam medicamenti constare ex vno vel pluribus, formula determinare debet hoc vnum vel haec plura, ex quibus materia medicamenti constat. Iam illa, quae materiem medicamenti constituunt, dicuntur *ingredientia medicamenti* §. 8. Quae de re formula, si materia medicamenti ex vno constat, hoc vnum *ingrediens*, et plura *ingredientia*, si ex pluribus constat, determinare debet.

§. 10.

Definitionem *subscriptionis* condituro in variis formularum exemplis attendendum est ad eas, quae subscriptionem constituunt, notas, eique animo perlustrandum, num hae in omni subscriptione adsint eamque ab omnibus aliis formulae partibus distinguant nec ne? Quod si facit, deprehendet, subscriptionem in formula esse determinationem formae medicamenti. Sic in formulis sequentibus

A 4

R.

℞ rad. pyreth.

angelic. aa ʒj

merc. dule. gr. xx

M. f. Trochisci cum f. q. gummi tragac.

℞ rhab. Alexandr. ʒʒ

ref. ialapp. cum nucl. pin. trit. gr. iv.

conserv. menth. ʒj

facch. in Rosar. sol. q. f.

M. f. Morfuli, conspergantur

ol. foenic. gutt. ij

haec verba:

*M. f. trochisci cum f. q. gummi tragac. et**M. f. morsuli, conspergantur ol. foenic. gutt. ij*

complectuntur subscriptionem. Sed quid haec aliud denotat, quam determinationem formae medicamenti? Et eodem modo sic se in reliquis formularum speciebus habet.

Omnis
formula
debet
habere
subscri-
ptionem.

§. II.

Omnis formula determinat formam medicamenti §. 5. Iam determinatio formae medicamenti est subscriptio §. 10. Ergo omnis formula debet habere subscriptionem.

§. 12.

Defini-
tio me-
dica-
menti
absoluti
et rela-
tivi.

Medicamentum in genere ita comparatum esse debet, vt sanitati hominis conducatur. Iam vero in hoc modus, quo est adhibendum, vt hic finis obtineri queat, determinatus est, vel non. In priori casu, quo modus, quo medicamentum aliquod fit adhibendum, vt sanitati conducatur, est determinatus, dicitur *medicamentum relatiuum*, in posteriori vero casu, quo modus

modus illud adhibendi non est determinatus, appellatur *medicamentum absolutum*.

§. 13.

Ne mentis acumine destituti hanc medicinali in absolutum et relatiuum distinctionem in meo tantum natam esse cerebro, nec certo niti fundamento sibi persuadeant, eius veritatem ulterius illustrabo. Equidem eam inter Medicos nec usitatam, nec ab iis traditam esse probe scio, nihilominus tamen summe esse necessariam docebunt sequentia. Saepissime experientia teste aliquod medicamentum, alias vel maxime innocuum, in certo casu, quo non legitime adhibetur, veneni naturam assumit et medicamentum esse definit. Eiusmodi medicamentum est medicamentum absolutum, quoniam per se, nulla habita ratione modi id adhibendi, sanitati conducere potest, sed in dato casu, quo non rite, ut hic finis obtineatur, usurpatur, non est medicamentum relatiuum. Tartarus emeticus eo respectu est medicamentum absolutum, quo consideratur eatenus, quatenus per se, sine respectu ad modum eius adhibendi habito, sanitati conducere potest; hoc vero respectu, quo spectatur eatenus, quatenus hoc vel illo modo in certo casu adhibitus sanitatem amissam restituere valet, est medicamentum relatiuum. Quodsi igitur accidit, ut illegitime adhibitus sanitati non conducatur, tunc amplius non est medicamentum relatiuum, sed absolutum tantum. Quae omnia cum ita sint,

Definitio antecedens illustratur.

medicamentum absolutum existit tale per so-
lam praeparationem ex data materia, sine re-
spectu ad modum id applicandi, et hinc modus
praeparandi ex data materia solus eius formam
constituit, cum e contrario pateat, formam
medicamenti relatiui consistere in modo medi-
camentum non solum praeparandi, sed illud
etiam adhibendi.

Omnis
formula
deter-
minat
modum
praepa-
randi
medica-
mentum
vel ab-
solutum
vel rela-
tium.

§. 14.

Omnis formula determinat modum prae-
parandi medicamentum §. 2. Iam medica-
mentum est vel absolutum, vel relatiuum §. 12.
Ergo omnis formula determinat modum, quo
vel medicamentum absolutum, vel relatiuum,
sit praeparandum.

§. 15.

Formula, quae determinat modum prae-
parandi medicamentum absolutum, mihi audit
absoluta, et *relatiua*, si determinat modum prae-
parandi medicamentum relatiuum.

§. 16.

Omnis
formula
est vel
absoluta
vel rela-
tiua.

Omnis formula determinat modum, quo
vel medicamentum absolutum, vel relatiuum sit
praeparandum §. 14. Iam formula, quae de-
terminat modum, quo medicamentum absolu-
tum sit praeparandum, est absoluta, et relati-
ua, quae determinat modum praeparandi me-
dica-

dicamentum relatiuum §. 15. Ergo omnis formula est vel absoluta, vel relativa.

§. 17.

Omnis formula debet habere subscriptio- Corollam §. 11, hinc etiam tam absoluta, quam relatiua.

§. 18.

Omnis formula determinat formam medicamenti §. 5, hinc etiam tam absoluta, quam relatiua.

§. 19.

Formula absoluta determinat formam medicamenti absoluti §. 18. Iam forma medicamenti absoluti est solus modus medicamentum praeparandi ex data materia §. 13. Ergo determinatio formae medicamenti in formula absoluta consistit tantum in determinatione modi medicamentum praeparandi ex data materia.

Quid sit determinatio formae medicamenti in formula absoluta.

§. 20.

Vocabulum *modus medicamentum praeparandi* sumitur vel late, seu concretionis, pro modo, quo ex data materia medicamentum fieri debet, et quo in sensu accipitur in definitione

Scholion de sensu vocis: modus praeparandi

medica-
men-
tum.

tione formulae §. 2, vel *stricto*, seu abstracte, pro determinatione modi praeparandi medicamentum sine respectu materiae ex qua, atque in hoc significato sumitur §. 19.

§. 21.

Quid sit
determi-
natio
formae
medica-
menti in
formula
relatiua.

Formula relatiua determinat formam medicamenti relatiui §. 18. Iam forma medicamenti relatiui est, praeter modum medicamentum praeparandi, modus idem applicandi §. 13. Ergo determinatio formae medicamenti in formula relatiua est determinatio modi medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam adhibendi.

§. 22.

Quid sit
subscri-
ptio in
formula
absoluta.

Determinatio formae medicamenti in formula absoluta est tantum determinatio modi medicamentum praeparandi §. 19. Iam subscriptio est determinatio formae medicamenti §. 10. Ergo subscriptio in formula absoluta est tantum determinatio medicamentum praeparandi.

§. 23.

Subscri-
ptio in
formula
relatiua
est de-
termina-

Determinatio formae medicamenti in formula relatiua est determinatio modi medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam

iam adhibendi §. 22. Iam determinatio formae
medicamenti est subscriptio §. 10. Ergo sub-
scriptio in formula relatiua est determinatio
modi medicamentum non solum praeparandi,
sed illud etiam adhibendi.

§. 24.

Cum omnis formula sit determinatio modi,
quo medicamentum sit parandum, signis ex-
pressa §. 2. circa omnem formulam necessario
aliquis adesse debet, qui determinat modum,
quo medicamentum sit parandum, et qui se-
cundum hanc determinationem medicamentum
praeparat. Paucis, circa omnem formulam
duae occurrunt personae, vna, quae formu-
lam praescribit, et altera, quae medicamentum
secundum praescriptum praeparat. Interdum
quidem vnica persona non efficit solum formu-
lam, verum etiam simul medicamentum, sed
tunc haec vices alterutrius personae gerit. At-
que his vtrisque tam forma, quam materia me-
dicamenti perspecta sit necesse est, nam alias
non concipere licet, quomodo hic, qui for-
mulam praescribit, hoc efficere possit, nisi ipse
tam materiam, quam formam medicamenti sci-
ret, et itidem facile est demonstratu, eum et-
iam, qui medicamentum secundum praescrip-
tum praeparat, eiusdem formam et materiam
nosse debere.

§. 25.

tio me-
dica-
mentum
non so-
lum
praepa-
randi,
sed et-
iam il-
lud adhi-
bendi.

Duae
perfo-
nae circa
omnem
formu-
lam oc-
currunt
et his
tam for-
ma,
quam
materia
medica-
menti
nota esse
debet.

§. 25.

Affera Circa omnem formulam duae occurrunt
 §. 24. va- personae, una, quae praescribit formulam, et
 lent altera, quae medicamentum secundum formu-
 quoque lam praescriptam praeparat, atque his tam for-
 de for- ma, quam materies medicamenti perspecta esse
 mula ab- debet §. 24. Iam formula absoluta et relatiua
 soluta et est formula. Ergo ea, quae de formula
 relatiua. in genere paulo ante dixi, de formula absoluta
 et relatiua valent.

§. 26.

Circa Circa formulam relatiuam duo quidem oc-
 formu- currunt, vnus, qui formulam relatiuam prae-
 lam rela- scribit, et alter, qui medicamentum ad hanc
 tiuam praeparat, atque his tam materia, quam forma
 tres oc- medicamenti relatiui cognita sit necesse est §. 25;
 currunt sed praeterea circa hanc formulam alius occur-
 perso- rit, nimirum is, qui medicamentum ad hanc
 nae, qua- formulam paratum applicat, atque huic nec
 rum pri- materia, nec forma medicamenti absolute scitu
 ma for- est necessaria, sed tantum forma medicamenti
 mulam relatiui, siue, quod idem est, modus illud ad-
 relati- hibendi. Cum enim circa formulam relatiuam
 uam duae occurrant personae, quibus tam materies,
 praescri- quam forma medicamenti relatiui scitu est ne-
 bit, alte- cessaria §. 25, forma vero medicamenti relatiui
 ra medi- in modo id applicandi consistat §. 13, patet,
 camen- praeter modo dictas personas adhuc aliam, siue
 tum ad tertiam, adesse debere, quae medicamentum
 hanc ad formulam relatiuam paratum applicat. Tres
 praepa- igitur circa formulam relatiuam occurrunt per-
 rat et sonae
 tertia il-
 lud ap-
 plicat.

sonae, quarum prima formulam relatiuam praescribit, altera medicamentum ad hanc praeparat et tertia illud applicat.

§. 27.

Signatura est expressio eius, quod applicanti medicamentum scitu est necessarium. Consideret quis varias, et tot, quot ipsi placet, signaturas, et ea, quae dixi, vera esse deprehendet. Ille vero, qui applicat medicamentum, potest esse vel aeger ipse, vel vnus adstantium.

Definitio signaturae.

§. 28.

Signatura est expressio eius, quod applicanti medicamentum scitu est necessarium. §. 27. Iam id, quod applicanti medicamentum scitu est necessarium, est modus applicandi medicamentum. Ergo signatura docet *modum applicandi medicamentum.*

Signatura docet modum applicandi medicamentum.

§. 29.

Signatura docet modum applicandi medicamentum §. 28. Iam modus applicandi medicamentum est forma medicamenti relatiui §. 13. Ergo signatura docet *formam medicamenti relatiui.*

Signatura docet formam medicamenti relatiui.

§. 30.

Cum signatura doceat formam medicamenti relatiui §. 28, pertinet ad formulam relatiuam, non vero absolutam, quoniam non haec, sed illa determinat formam medicamenti relatiui §. 18.

Signatura pertinet ad formulam relatiuam, non ad absolutam.

§. 31.

non ad absolutam.

§. 31.

Defini-
tio me-
dica-
menti
officina-
lis et
magi-
stralis.

Omne medicamentum vel prostare debet in officinis secundum leges provinciales iam praeparatum, vel non. Prius nominatur *medicamentum officinale*, posterius *magistrale*. Omne ergo medicamentum est vel officinale, vel magistrale.

§. 32.

Defini-
tio for-
mulae
officina-
lis et
magi-
stralis.

Formula, quae docet modum, quo medicamentum magistrale sit praeparandum, nominatur *formula magistralis*; ea vero, quae determinat modum praeparandi medicamentum officinale, *officinalis*.

§. 33.

Omnis
formula
est vel
magi-
stralis,
vel offi-
cinalis.

Omnis formula est determinatio modi, quo medicamentum sit praeparandum, signis expressa §. 2. Iam omne medicamentum est vel officinale, vel magistrale §. 31. Ergo omnis formula determinare debet modum, quo medicamentum vel magistrale, vel officinale sit praeparandum. Iam formula, quae determinat modum praeparandi medicamentum officinale, audit officinalis, et ea contra, quae indicat modum, quo medicamentum magistrale sit parandum, magistralis §. 32. Ergo omnis formula est vel officinalis, vel magistralis.



SECTIO